

Rescriptum.

Ex audientia Sanctissimi 6. Decembris 1729. Sanctissimus annuit, dummodo non adversetur Constitutioni *Universalis &c. Loco* Sigilli. N. M. Card. Lercari.

76 *I. Quod habet Auditor n. 32. & plur sequent. Ejectos uti infamia laborantes nec exercere suos ordines, nec concionari, nec assequi beneficia posse, id locum etiam sibi vindicat quoad ejectos a Societate Jesu post emissam vota solemnia, non item quoad eosdem ejectos a Societate Jesu post emissam vota dumtaxat simplicia, ut probe monet san. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diocesana l. 12. cap. 11. num. 2. ubi in hac re affert Resolutionem Sac. Congreg. Concil. & P. Girald. in addition. ad Marschat. Instit. canon. lib. 3. tit. 32. num. 39. &c.*

ELECTIO.

ARTICULUS I.

Electio quoad ejus esse divisionem, differentiam, & formam.

SUMMARIUM.

- 1 *Electio generatim sumpta quid sit.*
 - 2 *Electio Canonica dupliciter sumitur. Primò generaliter, & latissime, sub quo nomine venit etiam Postulatio, Nominatio, Nominatio, Petitio, & Collatio: secundo proprie, & strictè, & pro ut contra distinguitur ad supradictis.*
 - 3 *Electio proprie, & strictè sumpta (de qua solum est sermo) est personæ idoneæ ad ecclesiam vacantem, vel Prælaturam per eos, quibus elegerit Jus competit, Canonica vocatio.*
 - 4 *Assignatur differentia electionis ad postulationem.*
 - 5 *Postulatio, presentatio, nominatio, petitio, collatio quid sint, & in quo differant, ad num. 27. 28. Compromissarius, sive unus, sive plures, quomodo procedant, ad num. 31. 32. Aliæ electionum forme ad n. 33. 36. Nove addition. ex aliena manu, ad num. 27.*
- 1 **E**LECTIO generatim sumpta est multorum placentium in ordine ad finem unius præcepto. Sic ex Aristot. 5. *Ethicor. & D. Thom. 2. quest. 13. art. 3. in corp.* Unde si ad iter obsequendum occurrant simul duo media, videlicet equus, & biga, ut commodius fiat iter, in tali casu biga dicitur eligi, & ad hoc B. Albertus Magnus cap. 23. *Top.* dicit, quod eligere est duorum vel plurium, que sunt proposita, alterum, vel alterum præoptare. (Conducunt quæ liter. A. pag. 127. & 128. præsertim vers. Quæ discretio: notantur. Lex. 17. tit. 5. part. 1. absolute convenit.)
- 2 **E**LECTIO autem canonica dupliciter sumitur; generaliter, seu latissime; & sub hoc nomine electionis venit etiam *Postulatio, Presentatio, Nominatio, Petitio & Collatio*; Secundo, sumitur Electio proprie, seu strictè, & prout contradistinguitur à Postulatione, Presentatione, Nominatione, Petitione, & Collatione; Et de electione in hoc stricto, & proprio sensu in præsentem est sermo.
- 3 **E**LECTIO igitur proprie, & strictè accepta est personæ idoneæ ad ecclesiam vacantem, vel prælaturam per eos, quibus eligendi Jus competit, canonica vocatio. *Est in re communis.* Electio differt à Postulatione, quia electio innititur Juri, & postulatio innititur gratiæ. Sic Glossa communiter recepta in c. *Unico de postulat. Prælator. in 6. verb. Ego de Postulando.* Electio enim est personæ habilis, & idoneæ ad dignitatem, & si canonice sit celebrata, atque ab Electo acceptata, confert huic Jus ad prælaturam ita ut absque injuria rejici non possit & si suæ electionis confirmatio sibi denegetur, potest eam Electus actione instituta petere, eo quod ex justitia ei debeatur, cap. *Postquam 5. de election. & docet amplius Glossa ad rubricam tit. de Postulation. Prælator. in 6.* Postulatio vero est personæ alio quod defectu, vel impedimento laborantis, ob quod non

est eligibilis, ac propterea dispensatione opus habet, ut si quis non sit procreatus de legitimo matrimonio; cap. *Innotuit 20. de election. vel quia non habet legitimam ætatem, aut similem defectum patiatur, quem superior non tenetur dispensative admittere ex Justitia, sed solum ad dispensandum cum eo, atque ad ejus admissionem concedendam, quandoque movetur ex gratia cap. bonæ memoriæ 3. de postulatione. Prælator & Glossa ibi verb. Gratia. Unde Postulatio describitur, quod sit alicujus personæ ad prælaturam, seu dignitatem ecclesiasticam erga superiorem directam petitio, ut eam dispensative admittere dignetur; *Est in re communis.**

Electio differt à presentatione, quia presentatio ab uno solo fieri potest, & etiam per literas, & electio non nisi à pluribus, & capitulariter congregatis fieri potest; cap. *Nullius 1. & cap. Quia propter 42. de Election. Insuper Jus eligendi ad beneficium ecclesiasticum non competit laicis, cap. Sacrosancta 52. & cap. Messana 56. de elect. bene tamen Jus presentandi; cap. Quod autem 5. & cap. Pastoralis 29. de Jure patronat. Deinde electioni correspondet confirmatio, presentationi autem institutio per superiorem faciendâ; nam electionem ad ecclesiam, vel prælaturam de aliquo idoneo canonice factam tenetur superior de Jure confirmare, & Clericum idoneum legitime à patrono presentatum tenetur instituire. Unde presentatio describitur quod sit personæ idoneæ ad Episcopum, vel alium, cui competit institutio, per patronum legitime facta exhibitio, ut ei de beneficio vacante provideat. *Est in re communis.**

Electio differt à nominatione, quia nominatio sit de pluribus, & electio de uno solum, ut colligitur ex cap. *Quod sicut 28. de elect. ibi: Cum ex prima electione, que facta de tribus dicenda videtur potius nominatio, nihil juris acquirunt sit nominatis;* deinde per electionem, postquam est acceptata, acquirunt Jus electo, non sic autem acquirunt Jus nominato per nominationem cit. cap. *Quod sicut 28. de Election. ibi: Nihil juris acquirunt sit Nominatis.* Insuper nominatio potest fieri, & fit alternative, electio autem determinative; electio quippe fit de uno solum determinate, nominatio autem solemniter fit de pluribus alternative, ut ex illis superior, istum vel illum promoveat; *Fagn. in c. Bonæ memoriæ 3. de Postulat. Prælator. num. 63.* Unde Nominatio solemniter describitur, quod sit illa, per quam duo, vel plures excellentiores nominantur, seu proponuntur superiori ad hoc, ut unum ex illis admittat, eique de beneficio providere dignetur. *Est in re communis.* Dicitur autem notantur *Nominatio solemniter*, quia ut advertit Abbas in cap. *Quod sicut 28. de election. num. 1. Fagnan. in cap. Bonæ memoriæ 3. de Postulat. Prælator. n. 79. Barbosa lib. 1. Jur. Eccles. univers. c. 19. n. 17. & alii passim, Nominatio est triplex, prima est Nominatio consultoria, quæ præcedit scrutinium, & fit in collegio aliquos proponendo, ut si digni iudicati fuerint, per scrutinium eligantur; & per hanc nullum Jus acquirunt nominatis, cit. cap. *Quod sicut 28. de election. cum per talem nominationem exprimat solum consensus de futuro, & tali nominatione non obstante, possint Capitulares eligere alium, ut observant citati Doctores, & docet in dies experientia. Secunda est nominatio, quæ fit in scrutinio, quando Electores secreto aliquem in chartula nominant, juxta cap. *Si quis justo 46. de election. in 6. & hæc coincidit cum vocatione privata singularum eligentium; atque exprimit consensus de presentem, & licet, antequam publicetur talis nominatio, possit variari, publicato tamen scrutinio, non potest amplius per Electores variari, textu expresso in cap. *Publicato 58. de election. ibi: Publicato scrutinio variare nequeunt. Electores.* Tertia est nominatio illa solemniter, per quam duo, vel tres digniores nominantur Superiori, ut ex illis unum promovere dignetur.***

Electio differt à petitione, quia electio tribuit electo ipsam acceptantem Jus ad confirmationem; quæ si sibi injuste denegetur potest eam, actione instituta petere, eo quod ex justitia ei debeatur, ut colligitur ex cap. *Postquam 5. de election. & docet Abbas ibidem num. 1. dicens quod confirmatio sit necessitaria, licet electio à principio fuerit voluntatis: simplex vero petitio nullum tribuit Jus*

petito, cum non obstante, quod plebs, seu populus aliquem petat sibi dari in Prælatum, possit superior ipsi sum non concedere. Unde simplex petitio describitur, quod sit supplicatio, qua plebs ipsa, seu populus aliquem sibi dari in Prælatum deponit. *Est in re communis, & colligitur ex cap. Nulla ratio 1. dist. 62. ibi: Nec de plebibus sum expetiti; & cap. Quod Dei timore 5. de statu Monachor. ibi: Quod jam dicti parochiani à nobis ratum haberi suppliciter postularunt.*

Electio differt à collatione, quia per electionem acceptatam acquirunt solum Jus ad rem respectu beneficii seu prælatuæ, cum electus ante confirmationem non possit dicere beneficium esse jam suum, sed solum sibi debitum, Layman lib. 1. *Decretal. tit. 6. num. 4. Pirhing ibid. num. 2. Reiffenstuel ibid. num. 31. Passerin. cap. 33. de election. num. 7.* testans hanc esse de communi; arg. cap. *Super his 16. de accusat. iuribus;* Per collationem vero beneficii, quam quis ratam habuit, acquirunt Jus in re, & quasi dominium in ipso, licet possessio ipsius nondum acquisita fuerit, ut notat Layman loc. cit. num. 4. Garzias cum multis aliis part. 4. de beneficiis, c. 2. n. 1. Reiffenstuel loc. cit. n. 25. arg. c. *Si tibi absent 17. de præbend. in 6.* Unde collatio libera describitur, quod sit gratuita beneficii ecclesiastici vacantis concessio facta ab Episcopo, vel alio habente facultatem. *Est in re communis.* Dicitur autem notanter *collatio libera* ab exclusionem collationis necessariæ; Collatio enim dividitur in liberam, & necessariam; Collatio libera est illa mox descripta, & dicitur libera, quia licet habens Jus conferendi libere beneficia teneatur hæc intra tempus à Jure præfixum conferre personis idoneis, libere tamen confert, cui voluerit ex idoneis. Et hæc collatio libera, seclusa speciali concessione, non potest fieri per Vicarium Generalem Episcopi, cap. *final. de officio Vicarii in 6.* Neque ipsa transit ad Capitulum, Sede vacante; cap. *Unic. de Institut. in 6.* Collatio autem necessaria est ea quæ fit ex necessitate Juri, videlicet ad presentationem, nominationem, electionem alicujus, vel ad mandatum superioris, aut ex causa permutationis beneficiorum, Gloss. in *Clementin. Unic. de rerum permutat. verb. Conferantur, Barbosa tractat. de Appellationibus verb. Juris significat. appellat. 54. & alii passim; Et dicitur necessaria quia superior de necessitate debet conferre beneficium ipsimet presentato, nominato, electo, permutanti, aut providi mandato, si sit idoneus. Et hæc collatio potest fieri etiam per Capitulum, Sede vacante, cap. *Olum 14. de Major. & obediens. & cap. Unic. de Institut. in 6.**

Forma electionis est triplex, scilicet forma *Scrutinii*, forma *Compromissarii*, & forma *Inspirationalis*, textu expresso in cap. *Quia propter 42. de election. ibi: Quia propter diversas electionum formas, quas quidem invenire conveniunt, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminunt ecclesiis viduatis, statuimus, ut, cum electio fuerit celebranda, presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio, & fide digni, qui secreta, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo propterea appellationis obstaculo interfecto, ut si collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars capituli consentit, vel saltem eligendi potestas alicujus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiæ viduæ provideat de Pastore, aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque voto celebrata: Qui vero contra prescriptas formas eligere attentaverit, eligendi ea vice potestatem privetur. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debet advocari, justoque impedimento decentis venire non possit super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, & tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio sententiam: electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur. Ubi vides quod generaliter reprobantur omnes alie diversæ à tribus dictis electionum forme, decernendo quod aliter facta electio non valeat.*

Hinc electio per fortes est nulla, utpote facta contra dispositionem irritantem hujus capituli. Quia propter, & talis electio per sortes in specie reprobatur, & fieri prohibetur etiam in cap. *Ecclesiam vestram 3. de sortilegii.*

Electio per scrutinium est illa, quæ presentibus omnibus, qui debent, volunt & possunt interesse, fit per collectionem suffragiorum circa eam in quem major, & sanior pars capituli consentit. *Est in re communis, & habetur clare ex cit. cap. Quia propter 42. de elect. Ex quo capite, seu canone secundum Joann. Andr. ibidem num. 28. quem Doctores communiter sequuntur, teste Fagnano ibidem num. 36. colliguntur octodecim substantialia forma electionis per scrutinium. Primum igitur substantiale est, ut fiat per congregatos in unum. Secundum, ut scrutatores assumantur à collegio. Tertium, ut scrutatores sint tres. Quartum, ut scrutatores sint de collegio. Quintum, ut vota singulorum exquirantur secreto. Sextum, ut exquirantur sigillatim. Septimum, ut exquirantur vota cunctorum. Octavum, ut vota in scriptis redigantur. Novum, ut vota in communi publicentur. Decimum, ut publicentur mox. Undecimum, ut fiat collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, & zeli ad zelum. Duodecimum, ut collatio fiat incontinenti post publicationem. Tertiumdecimum, ut fiat communis electio. Quartumdecimum, ut eadem electio fiat statim post collationem. Quintumdecimum, ut electio fiat de illo in quem major & sanior pars capituli consentit. Sextumdecimum, ut electio fiat verbalis. Septimumdecimum, ut electio non sit clandestina. Decimumoctavum, ut prædictorum omnium ordo servetur. Hæc apud Fagnan. in dict. cap. Quia propter, ubi late à num. 37. usque ad num. 66. inclusivè. Vide etiam Reiffenstuel lib. 1. *Decretal. tit. 6. num. 146.* ubi docet, quod non valet electio celebrata à saniori parte capituli, nisi ea etiam sit major; cap. *Cumana 50. de elect. & ibi communis Doctorem.**

Electio per compromissum illa est, quæ fit, quando Capitulares presentes facultatem eligendi in unum, vel plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligant. *Est in re communis, & habetur clare ex dict. c. Quia propter, & concordat cap. In causis 30. de election. Ad faciendum compromissum pro electione requiritur consensus omnium Vocalium, ita ut unus dissensus compromissum impediat, & electio aliter facta non valeat cit. cap. Quia propter, ibi: Qui vicem omnium... Aliter electio facta non valeat. Ita Glossa ibid. verb. Vice omnium, & Doctores communiter, teste Abbate ibid. §. Vel saltem num. 2. & 6. Compromissum pro electione potest fieri etiam in unum solum, quamvis ipse non sit de collegio, arg. cap. *Causam 8. de election. ubi moniales compromiserunt pro electione Abbatissæ in Episcopum, qui erat solus, & non de collegio. Glossa ibid. verb. Conulerint, & Glossa communiter recepta in cit. cap. Quia propter verb. Viris. Compromissum non potest fieri in laicum; cap. *Contingit 8. de Arbitris, cap. Decernimus 2. de Judicis.* Unus compromissarius nequit eligere seipsum (*Leg. 7. tit. 15. part. 1. arg. cap. Cum ad nostram 7. de Institut. ubi statuitur, quod nemo potest instituire seipsum in beneficium, addita ratione: Cum inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis, cap. Per nostras 26. de Jure patronat. ubi statuitur, quod nemo potest presentare seipsum ad ecclesiam, etiamsi de suo Jure patronatus, ibi: Nullus se potest ad personatum alicujus ecclesie presentare, quantumcumque idoneus sit. Sic Glossa communiter recepta in cap. Cum in Jure 33. de election. verb. Ex se, vel aliis. Quia, dicit ipsa, Nemo debet oriri à se ipso, c. In Scripturis 9. ead. 8. quest. 1. cum similibus; Si compromissarii sint plures, possunt ii aliquem ex se eligere, quamvis in compromisso id non sit expressum, dummodo non fuerit expresse prohibuit; Sic Abbas in cit. cap. Cum in Jure num. 4. ubi pro hac sententia allegat Innocent. Hostiensis & quasi communem aliorum, & hanc tenent novissime Pirhing lib. 1. *Decret. tit. 6. num. 22. Reiffenstuel ibid. num. 99. Engel num. 21. Sanig cap. 4. num. 24. Passerin. cap. 22. de election. num. 4. & alii. Compromittentes tenentur recipere electum à Compromissariis, c. Causam 8. de elect. & Communis Doctorem. Dummodo tamen servata fuerit****

forma compromissi, quia si compromissarii terminos potestatis sibi tradere non servaverint, non valet Electio inde secuta, cap. Cum dilectum 23. & cap. Cum in veteri 52. de electione.

32 Electio per Inspirationem est illa, quae fit per veram Dei revelationem, qualis inter alias fuit electio S. Nicolai, S. Ambrosii, & S. Severi, de quibus fit mentio in cap. Statutum 8. distinctio 61. ibi: "Beatus Nicolaus ex laico electus est in Episcopum. Beatus Severus ex Lanificio assumptus in Archiepiscopum. Beatus Ambrosius, cum nondum esset baptizatus, in Archiepiscopum est electus." Electio autem per quasi inspirationem est illa, quae electores omnes quasi per Inspirationem Spiritus Sancti concorditer moti, nullo procedente tractatu, communiter uno corde, & ore in eadem consentiunt; Est in re communis; & habetur clare in cit. cap. Quia propter 42. de electione. ibi: "Aliiter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata." Ubi advertit, quod notanter ibi dicitur Absque vitio celebrata, quia requiritur, ut talis electio sine ullo vitio simoniae, requisitionis, subordinationis, & consensus extra capitulum ante electionem dati, atque ab omnibus, & singulis libere, & concorditer uno corde, & ore consentientibus fiat, aliter non esset electio quasi per inspirationem celebrata; argum. cap. Per Inspirationem 26. & cap. Post petitam 46. de electione. Hinc Electus ad clamorem populi non debet per superiorem confirmari, ut statuitur in c. Osius 2. de elect. ibi: "Cum visit manifestum potuisse plures eorum, qui sinceram fidem non habent, praemio, & mercede corrumpi, ut clamarent in ecclesia, & ipsum petere viderentur, omnino fraudas has damandas esse arbitror." Unde, ubi subest suspicio fraudis, non est censenda electio facta per quasi Inspirationem.

36 Formam electionis à notissimo cap. Quia propter de electione, praescriptam, de qua agit Auctor à num. 20. locum non habere, nisi quoad beneficia, ex quorum vacatione propriis pastoribus viduatae remanent ecclesiae post alios firmavit Rouseaud de la Combe in sua Jurisprudencia canonica verbo Electio num. 10. & respondit Rot. cor. Caprar. decis. 558. num. 1. decis. 593. parti. 1. r. num. 1. Quod vero concernit cetera beneficia, nisi forma electionis determinata sit statuto, vel consuetudine ecclesiae, de qua agit, sufficit, ut inquit Rot. cor. Caprar. decis. 558. num. 2. consensus naturalis, sive verbis, sive factis explicatis, & admissis convenit max. dista decis. 593. num. 2.

38 In electione autem faciendi servata forma dista cap. Quia propter is: qui à medietate capitularium electus est, nequit accedere electioni sui ipsius ad constituendam pluralitatem ipsorum capitularium; potest vero accedere in improbia illa electione, in qua non est servanda forma dista c. Quia propter; Cardinal. de Luc. de Canon. distinct. 26. num. 6. & sequent. Opime Louvrex dissertat. canon. 7. num. 44. & plur. sequent. ubi num. 45. "Ratio est (ait) quia vota secreta danda sunt, & ante publicationem scrutinium, & consequenter accessio publicato scrutinio palam facta nihil operari potest, non solum quia in formam c. Quia propter peccatum est, sed etiam quia se ipsum eligere videtur, qui dum ignorat, an malis ipsi electuri sunt, sibi ipsi votum dat, quod omnino prohibuitur est, prout in terminis decisum reperitur in cap. Cum 5. de electione. quod tamen limitat Tom. vidit. quest. benefico. parti. 1. cap. 82. num. 7. nisi duo tantum supersint Canonici, quia quum forma cap. Quia propter non possit tunc servari, aliter electioni per alterum de se facta accedere posset. Sed in electionibus, in quibus scrutinium, formalitatesque illae non requiruntur, seu in quibus vota publice dantur, electus à medietate capituli electioni de se facta accedere non prohibetur."

40 Pariter in electione, in qua locum sibi vindicat forma cap. Quia propter, post publicationem nequit major pars capituli accedere minori parti capituli, at accedere indubie valet in electione, in qua non est necessaria forma cap. Quia propter; Louvrex dista dissertat. Canon. 7. num. 49. & duob. sequent. Rot. cor. Caprar.

dist. decis. 557. à num. 3. ad fin. ubi num. 7. & duob. sequent. "Non obstat (inquit) quod electio à principio nulla non possit convalidari &c. tum quia procedit haec regula in electione faciendi ad formam cap. Quia propter, secus vero in electione improbia, quia quum ista servatur ex simplici consensu naturalis, satis est quod iste capitularium superveniat sive ex verbis, sive ex factis &c. tum etiam quia postea quod electio reconvalescat vigore novi consensus, ex nunc non convalidatur quod nullum est, sed potius inducitur novus consensus electionis; & dista decis. 593. pariter à num. 3. ad finem."

Præterea in electione, in qua locum habet forma cap. Quia propter, nequit extraneus de consensu capituli admitti ad eligendum, potest tamen in alia electione: Louvrex dissertat. canon. 5. num. 25.

Ad haec in electione, quae fieri debet juxta cap. Quia propter, locus esse nequit compromisso limitato, potest vero esse locus in alia electione; Louvrex dissertat. canon. 6. num. 16. Rot. in recent. decis. 312. num. 3. & seq. parti. 4. tom. 7. Limitatum autem compromissum dicitur, si (ut ait Louvrex loc. cit. num. 16.) "ita compromissum sit, ut compromissarii vota singulorum scrutentur, & exquirant, illumque eligant, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit."

Usum denique sortis in electione faciendi ad formam cap. Quia propter, prohibuitur esse, non est quod dubitari possit, quum non alia admittatur forma, quam illa quae fit, vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem. Accedit quod Honorius III. in hac electione faciendi ad formam c. Quia propter: expressum vetuit usum sortis, ut perspicuum est ex cap. Ecclesia de sortileg. Questionis vero est, an idem obtineat in aliis electionibus. Quoad electiones, quae fieri dicuntur à patronis laicis, ubi jure collegii presentant, scissi inter se sunt Doctores. Negant usum sortis esse prohibitum Piton. de controvers. patronor. allegat. 10. à num. 4. ad plur. sequent. ubi num. 22. quod praesentim procedere debeat negativa haec opinio in casu in quo per suffragia duo fuerunt electi, sed neutrius electio conclusa remaneat ob reiteratam parvitatem votorum; Rot. in rec. dec. 459. num. 25. parti. 10. tom. 2. Prohibitum vero esse usum sortis affirmat Fagnan. in cap. Quia propter num. 2. de elect. Passerin. de elect. cap. 18. num. 8. Rot. cor. Ansal. decis. 95. num. 10. cor. Ferrar. decis. 94. num. 4. At novissime idem sacrum Tribunal Rotae in Pamplonia. Abbatis de Torre 22. Martii 1748. cor. Illustriss. Clementis questionem in genere definire nequit, ut patet ex sequentibus verbis §. 9. Uras autem de hac questione sit, sed ex peculiaribus ejus circumstantiis improbat electionem à patronis laicis per sortes factam.

(Omnia hujusque relata si aliquis reperiri voluerit, sequentes leges perlegat: De prelatorum electione dista leg. 17. adique 24. tit. 5. parti. 1. In vigesima tertia invenies eadem exempla, quae num. 32. ab Auctore recensentur: De presentatione aut nominatione tit. 15. & 16. parti. 1. Denique ne adnotationes repetantur, memorie demanda verb. Abbas inserta, verb. Beneficium, per tot. verb. Canoniciatus, Concursus, & verb. Jus patronatus, praecipue in additionibus hisp. & novis. Conducit verb. Alternativa, ver. Licet:)

ARTICULUS II

Electio quoad illos, qui possunt, vel non, eligere, & eligi.

SUMMARIUM.

- 1 De Jure communi Jus eligendi Praelatum spectat ad capitulum, seu collegium, cujus Praelatus est eligendus.
- 2 Hoc Jus dicitur in ecclesia duravit, & etiam nunc in plerisque ecclesiis potest. At in multis aliis nominant,

nam, & praesentant Reges ex privilegio pontificia, & in variis aliis nominant, & instituit ipse Summus Pontifex.

3 Jus eligendi Praelatum, quomodo de jure communi spectat ad capitulum, seu collegium, cujus Praelatus est eligendus, potest tamen ex privilegio, vel praescripta consuetudine acquiri etiam ab aliis Clericis extraneis.

4 Immo possunt ipsmet Capitulares, vel Collegiales Electores de communi omnium consensu communicare Clericis extraneis facultatem eligendi, seu secum coeligendi.

5 Si unus solus de capitulo, seu collegio remaneat, aliis mortuis, privatis, suspensis, interdicitis, excommunicatis, aut à Societate voluntarie recedentibus, ille solus poterit eligere alium in Praelatum totius collegii.

6 Non potest tamen ille eligere seipsum.

7 Qui eligere, aut nequeunt eligi, ad num. 41.

De Jure communi Jus eligendi Praelatum spectat ad capitulum, seu collegium, cujus Praelatus est eligendus cap. Nullus 1. cap. Cum terra 14. de electione. cap. ult. caut. 16. quest. 7. cum similibus. Et hoc Jus dicitur in ecclesia duravit, & etiam nunc in plerisque ecclesiis, praesertim in Germania collegium Canonicorum Cathedralium Episcopos, vel Archiepiscopos eligi, & electi à Romano Pontifice confirmantur: In aliis vero regnis, ut in Hispania, Gallia, Lusitania, Polonia, &c. ipsi reges ex privilegio apostolico Episcopos nominant, & praesentant ab ipso Summo Pontifice instituendos, & in multis locis Italiae ipsemet Summus Pontifex nominat, & instituit, ex quo sibi reservaverit provisiones omnium ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopatum, & episcopatum in Extravaogant. Ad regimen, de Praebend. & generaliter, & simpliciter solet quilibet Summus Pontifex in initio sui pontificatus talem reservacionem facere quoad omnes ecclesias vacantes, vel vacaturas, tam apud Sedem Apostolicam, quam extra Curiam, ut patet in 2. & 3. Regula Cancellariae, exceptis supradictis regnis, aliisque privilegiatis per specialia concordata. (Vid. verb. Beneficium, art. 9. 10. 11.)

3 Jus eligendi Praelatum, quomodo ex dictis de Jure communi competat ad capitulum, seu collegium, cujus Praelatus est eligendus, potest tamen, tum ex privilegio, tum ex consuetudine legitime praescripta acquiri etiam ab aliis Clericis extraneis; cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, & cap. Cumana 50. de electione, & Communis Doctorum. (Lex. 1. tit. 16. parti. 1. 16. tit. 5. ejusd.) Immo possunt ipsmet Capitulares, seu Collegiales Electores de communi omnium consensu communicare Clericis extraneis facultatem eligendi, sive secum coeligendi: possunt enim Electores totam potestatem eligendi transferre in Compromissarios, etiam extraneos, ut cap. Causam 8. cap. In causis 30. & cap. Quia propter 42. de electione. (Leg. 20. tit. 5. parti. 1.) ergo à fortiori poterunt de communi omnium consensu communicare potestatem aliquibus Clericis idoneis, ut secum eligant, ut factum fuisse per electione Patriarchae Constantinopolitani habetur in cap. Scriptum est 40. de electione. Si unus solus de capitulo, seu collegio remaneat, aliis mortuis, privatis, suspensis, interdicitis, vel excommunicatis, aut à societate recedentibus, ille solus poterit eligere alium in Praelatum totius collegii; Glossa in cap. Gratum 2. de postulat. Praelatorum; Pirhing lib. 1. tit. 6. num. 12. Donatus pro. Regular. tom. 2. tract. 2. quest. 10. cum aliis pluribus, quos allegat, & sequitur Passerin. de electione. cap. 10. quest. 1. num. 8. Collegii enim, seu Universitatis Jus propter casus supervenientiam conservari potest etiam in una persona; Glossa in leg. Nativus ff. de verborum significat. & leg. Sicut ad fin. ff. Quod jusque univ. nom. & Ad rem lex. 26. tit. 31. parti. 3. ibi: Petro: 15. tit. 10. parti. 7.) Glossa in cit. cap. Gratum 2. de Postulat. Praelatorum, verb. Pauciores, Pirhing loc. cit. & alii passim cum Barbo. lib. 1. Juris ecclesiar. univ. cap. 19. num. 46. Non posset tamen ille eligere seipsum; argum. cap. In scriptis 9. caus. 8. quest. 1. cap. Cum ad nostram 7. de Instit. cap. Per nostras 26. de Jurepatronat. & Glossa communiter re-

cepta in cap. Cum in jure 33. de Electione. verb. Ex se, vel alii. Vide art. antecedent. num. 28.

4 Eligere non possunt, quomodo sint de numero Eligentium, Primo pupilli, & impuberes, hoc est, minores 14. annis, si sint masculi, vel 12. annis, si sint foeminae, quia pleno usu rationis, seu discretionis carent, textu expresso in cap. Ex eo 32. de Electione. in 6. Secundo ob eandem rationem prohibentur eligere furiosi, si, & mente capti, quomodo durat amentia; Glossa in c. Ex eo, verb. Discretionem, Tolosan. de Electione. c. 8. num. 2. Pirhing loc. cit. num. 26. & alii passim. Tertio prohibentur eligere excommunicati excommunicatione majori; cap. Constitutus 23. de appellat. & Glossa ibidem verb. Majores. Quarto eligere non possunt suspensi ab officio, & beneficio simul, vel etiam ab officio tantum; cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, & Glossa 10. ibidem verb. A suspensis, & cap. Cum inter 16. §. fin. de Electione. Non prohibentur tamen eligere suspensi à beneficio tantum; quia isti adhuc possunt exercere omnia negotia, tam spiritualia, quam temporalia, cum sint suspensi tantum à Jure percipiendi fructus beneficia; Gloss. in cap. Cum Vintoniensis 25. de electione. verb. Admiserat, & Abbas ibidem num. 10. Suarez tit. 5. de censuris, disp. 27. sect. 2. num. 34. Passerin. loc. cit. num. 91. & sequent. Pirhing loc. cit. num. 30. Reiffensuel lib. 1. Decretal. tit. 6. num. 170. & alii contra Navarrum, & alios. Quinto eligere non possunt personae liter interdicitae; cit. cap. Cum inter 16. de Electione, & Communis Doctorum. Sexto eligere non possunt Irregulares; cap. Is, qui 18. §. fin. de sent. excomm. in 6. ibi: Qui nec ad eligendum cum aliis debet admitti; & ibi Ancharanus, Silvester verb. Electio 1. §. 4. Angelus verb. Electio num. 8. Azor. Inst. moral. parti. 2. lib. 6. cap. 5. §. 3. num. 48. Reiffensuel loc. cit. num. 172. & alii. Requiritur tamen, quod isti Irregulares, sicuti & excommunicati, suspensi, & Interdicti, sint nominatim denunciati, & alioquin eligere poterunt juxta Extravaog. Ad evitanda in Concil. Constantiensi à Martino V. editam.

5 Septimo eligere prohibentur infames infamiae juris; Glossa in cap. Ut circa 4. de Electione. in 6. verb. Eligentium, Suarez de Censuris, disp. 47. sect. 3. num. 2. Reiffensuel loc. cit. num. 173. & alii. Dummodo tamen sint infames sententiae, sive declarati, ut notat Donatus in prax. Regular. tom. 2. tract. 5. q. 20. num. 5. Passerin. loc. cit. cap. 10. num. 145. & alii. Octavo eligere non possunt ad dignitates, & praelaturas ecclesiasticas laici seculares, cap. Nullus 1. cap. Non est 6. cap. Non licet 8. & cap. Nosse 12. dist. 63. cap. Contingit 8. de Arbitris, cap. Decernimus 2. de judicis. c. Sacrosancta 51. de electione. Et electio Episcopi per laicos etiam cum Canonice facta, est nulla, non obstante contraria consuetudine, quae potius dicenda est corruptela; textu expresso in cap. Messana 16. de electione. Nono eligere non possunt in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, qui nondum sunt constituti in ordine Subdiaconatus; Clement. Ut is, qui 2. de etat. & qualitat. presbiteri. Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. de reformat. Decimo qui scienter elegerint indignum, pro ea vice eligendi potestate privantur, & eorum electio cassatur ipso jure; cap. Cum in cunctis 7. §. Clerici, cap. Cum Vintoniensis 25. cap. Scriptum 40. de electione. & cap. Perpetuo 7. eod. in 6. Undecimo qui per abusum potestatis secularis elegerint, ipso jure privati sunt potestate eligendi; cap. Quisquis 43. de electione. Duodecimo eligere per illa vice non possunt, qui intra tempus statutum eligere neglexerint; cap. Ne pro defectu 41. de electione. cap. Quamquam 18. eod. in 6.

6 Eligi solum possunt, qui habent qualitates à Jure requisitas, & praecipue literarum scientiam, aetatis maturitatem, & morum honestatem; cap. Cum in cunctis 7. §. 2. de electione. Scientia est triplex, scilicet eminent, mediocris, & sufficiens; Scientia eminent est illa, per quam quis statim, & prompte absque resolutione librorum scit casus etiam difficiles, & subtiles resolvere. Scientia mediocris est illa, per quam quis resolvit quidem casus etiam difficiles, at non statim, & prompte, sed

23 sed cum tempore, & revolutione librorum. Scientia sufficiens est illa, per quam quis sufficienter explere potest ea, quae suo muneri incumbunt; Et haec scientia sufficiens mensuranda est juxta qualitatem loci, ubi eligendus debet vivere; & juxta qualitatem officii, & ecclesiae, ad quam debet quis eligi; argum. cap. In cautelis 30. §. final. de election. In eligendis ad praelaturas, atque officia ecclesiastica, quamvis desideranda sit scientia eminens, adhuc tamen mediocri, immo & sufficiens toleratur: cap. Cum nobis 19. de election. & cap. Nisi cum pridem 10. §. Pro defectu, de renuntiatione, ubi sic expresse habetur: "Quamquam etsi desideranda sit eminentis scientia in pastore, in eo tamen sit contenta toleranda, quia secundum Apostolum scientia inflat, charitas autem aedificat, & ideo imperfectum scientiae potest supplere perfectio charitatis." Quoad aetatis maturitatem vide verb. Etas, & quoad morum honestatem patet ex mox addendis, qui defectu morum, & honestatis, aliarumque qualitatum non possunt eligi.

(Etiam per leg. 22. & 24. vid. idem verb. Etas, tit. 5. part. 1. ad episcopatum triginta anni assignentur, & requirantur, hodie per regiam Ordinationem, cuius mentio jam est facta, art. 5. num. 64. & 7. num. 18. verb. Beneficium, in addit. novis. praeter alias qualitates, quibus ornati esse debent ad eandem dignitatem, archiepiscopalem, aliamque quamcumque ex praelatis territoriorum, & jurisdictionem quasi episcopalem habentibus, quadragessimam aetatis annorum excedere. Circa qualitates ad beneficia ecclesiastica in dominiis ultramarinis vacantia recognoscantur leg. 4. §. 6. 7. 14. 15. 19. 24. 25. 27. 28. & 30. tit. 6. 7. 8. 30. 53. tit. 7. cum 15. lib. 1. Ind.)

26 Eligii non possunt, Primo, Infames tam Infamia juris, quam Infamia facti; cap. Qui in aliquo crimine 5. dist. 51. cap. Infames 17. caus. 6. quest. 1. ubi postquam dictum fuit, fures, sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, adulteros, & alios ibidem enumeratos de jure infames esse, subjungit textus "Hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi;" & cap. Infames 87. de Regulis juris in 6. ibi: Infames parte non pascant dignitatem. (Leg. 22. tit. 5. part. 1. tit. 5. §. 6. praesertim leg. penult. part. 7. §. 10. ejusd. §. 11. §. 3. & 5. tit. 6. part. 3.) Hoc tamen procedit solum de infamibus sententiat, sive declaratis, ut advertunt Donatus in praxi rerum Regul. tom. 2. tract. 5. quest. 10. num. 3. Passerin. loc. cit. cap. 10. num. 145. Reiffenstuel loc. cit. num. 227. argum. cap. Ex tenore 4. & cap. Quersitum 17. de temporib. Ordinari. & arg. cap. Licet Episcopus 23. de prebend. in 6. & cap. Cum secundum 19. de haeretic. in 6. Secundo eligi non possunt Excommunicati excommunicatione majori; cap. Postulastis 7. de Cleric. Excommunic. ministr. & concordat cap. Si celebrat 10. eod. tit. & cap. Cum dilectus 8. de consuetud. Nullus quoque minori excommunicatione ligatus est eligendus, & quamvis electio de tali scienter facta, non sit ipso jure irrita, est tamen per sententiam Judicis irritanda, textu expresso in cit. cap. Si celebrat 10. de Cleric. Excommunic. ministr. ibi: Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.

30 Tertio eligi non possunt suspensi, sive à Jure, sive ab homine; cap. Cum dilectus 8. de consuetud. cap. Cum inter 16. de election. Quarto eligi non possunt personaliter Interdicti; cap. Ad haec 1. de postulat. Praelator. cap. Inter 16. de election. cap. Is qui 18. de sent. excommun.

31 in 6. Quinto eligi non possunt Irregulares; cit. cap. Is qui 18. de sent. excommun. in 6. & concordat cap. Praecipimus 10. dist. 24. & cap. Non confidat 59. dist. 50.

33 Sexto qui semel ob vitium personae sunt rejecti non possunt amplius eligi, nisi sint specialiter restituti; c. Super eo 12. de election. (Leg. 14. in fin. tit. 16. part. 1.)

34 Septimo eligi non possunt ad dignitates, & praelaturas regulares ponentiant à S. Officio, quamvis poenitentias compleverint, ut constat ex sequenti decreto edito 2. Octobr. 1626. In Generali Cong. S. R. & universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. Urbano divina providentia Papa VIII. &

Illustrissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa republica adversus haereticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede specialiter deputatis, Sanctissimus D. N. Justis de causis animarum suam moventibus decretis, & statuit, ut impositum Regularibus omnes cujuscumque ordinis, religionis, societatis, & instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis officium spectantibus poenitentiae genus aliquod impositum fuerit (salutaribus poenitentiae coepit) eo ipso ad omnes religionis suae gradus, & officia inhabiles consentant, & deinceps (etiamsi poenitentia tempore expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promovendi nullatenus possint, nisi prius obvia à S. D. N. vel ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, speciali, & expressa rehabilitatione; aliter promotio quolibet nulla sit, & promovendi ipsi privatione suorum officiorum, ac praeterea votis altius, & passiva ipso facto incurrant, ad quae restitui nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sacra Cong. coram Sanctitate sua habenda non possint; Praesens autem decretum omnibus religionum Superioribus intimari mandavit idem S. D. N. Thomas de Federicis, S. Romanae, ac Universalis Inquisitionis Notarius substitutus.

Hinc nequit eligi ad praelaturas Regularis ille, qui abjuravit in Sancto Officio, etiamsi de levi; Regularis enim, quibus aliqua poena imposita est à Sancto Officio, salutaribus tamen poenitentis; ex cit. Decret. Urban. VIII. redduntur inhabiles ad omnes gradus, & officia; abjuratio autem, etiamsi sit de levi, est poena quae per sententiam imponitur, & post sententiam debet fieri, ut constat ex stylo Generalis, & Universalis Sanctissimae Inquisitionis Urbis, ut testantur Carona, tract. de officio SS. Inquisitionis, part. 3. tract. 12. de abjurat. §. 4. num. 11. Pegna Com. 41. 3. part. director. Inquisit. sub tit. de quinto modo terminandi processum numer. 166. tit. dist. Diana part. 4. tract. de offic. & potest. Inquisit. resolut. 64.

Septimo eligi non possunt haeretici, textu expresso in cap. Quicumque 2. §. Haeretici, de Haereticis in 6. ibi: "Haeretici autem, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores eorum ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur, Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane." Sic nec etiam Schismatici; arg. cap. Qui diligenter 5. 37. de elect. ubi electio schismatici ad unionem ecclesiae redeuntis dispensative solum permittitur confirmari; Abbas ibid. num. 1. Barbosa, ibid. num. 2. & alii passim. Octavo eligi non possunt in Episcopos Neophyti; cap. Prohibentur 2. dist. 48. ibi: "Prohibentur autem Neophyti in Episcopos ordinari, ut qui heri erat catechumenus, hodie non fiat Episcopus, qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in ecclesia, qui vespere erat in circo, hodie non ministret altari; qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator virginum." Causa autem hujus prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam tanquam religio christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli." Nono eligi non possunt spurii, & illegitimi; cap. Cum in cunctis 7. de election. & ibi: Gloss. communiter recepta verb. Matrimonio. Decimo eligi non possunt laici; qui enim necdum sunt Tonsurati, sunt inhabiles ad quolibet beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; arg. cap. Ex literis 6. de transactio. & notat Glossa fin. & Abbas ib. Aliter electio facta in personam laici nondum Tonsurati, ipso jure est nulla, cum laicus sit incapax omnis juris ecclesiastici; cap. Causam 7. de prescriptionib. cap. Cum adeo 17. de rescriptis. cap. Contingat 8. de arbitri. cap. Decernimus 2. de Judicis. cap. In Ecclesia 2. de institution. Undecimo eligi non possunt Bigami, servi, & hujusmodi, arg. c. Infames 10. caus. 6. quest. 1. ibi enim tales, alique similes prohibentur promoveri ad sacros ordines, unde à fortiori debent prohiberi ad ecclesiasticas dignitates, & praelaturas.

(Fere cum praedictis ex num. 21. ad 33. ex 36. hinc usque conveniunt leg. 22. & 23. tit. 5. Circa excommunicatos praeterea vid. leg. 6. tit. 9. De bigamis. leg. 35. tit. 3. dist. 11.)

tit. 5. part. 1. Retrorsum inspicit lit. B. ex pag. 383 ad 391. col. 1. Vid. per tot. verb. Beneficium, praecipue art. 5. Quae omnia num. praecedentibus etiam contineantur.

42 Quod de materia hujus articuli late aequae, ac egregie disserit Louvrex dist. canon. 5. per tot. Eum ubi res postulat consule. Hic vero non est praeterendum, quod Canonici tum cathedralium, tum collegiarum, tametsi sint de capitulo, non aliter jus eligendi habent, quam si in sacris sint constituti, ut sancitum est in cap. Ex eo §. An Ecclesiae, de elect. in 6. & in Clementina. Ut li. de aet. & qualit. & innovatum est à Concilio Tridentino sess. 22. cap. 4. de Reform.

43 Nota vero quod necesse haud est, ut de tempore vacationis beneficii Canonici in sacris sint constituti, sed satis est, si de tempore electionis constituti sint in sacris. Idque etiam ex dispensatione pontificia ordinati sint ante aetatem ordinariam; Louvrex dist. Canon. 5. num. 8. & seq. Barbosa. de Canon. cap. 36. num. 3. Tamb. de Jur. Abb. tom. 2. disp. 5. quest. 8.

45 Utrum vero jus eligendi habeat Canonici proprietarii, an vero Canonici possessor, tum an jus eligendi habeat Canonici post Canonicatus resignationem, vel vacante canonicatu per alterius incompatibilis assequutionem, expendit Louvrex dist. Canon. 5. à num. 10. ad plur. seq.

47 Pacifica haud est opinio Auctoris num. 15. seq. quod interdicti & irregulares haud possint eligere. Consule inter alios Zoes. in decret. lib. 1. tit. 6. num. 16. & seq. Pro opinione vero Auctoris est Passerin. de election. cap. 10. num. 99. & plur. seq.

49 Admissio excommunicati ad eligendum, an irritam reddat electionem, vide apud Zoes. in decret. dist. lib. 1. tit. 6. num. 8. & seq. D.

ARTICULUS III

Electio quoad ea quae concernunt Electores.

SUMMARIUM.

- 1 ELECTORES habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive praesentes, vocandi sunt ad electionem novi Praelati.
 - 2 Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necessitate vocandi.
 - 3 Quamvis autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis, standum est specialibus consuetudinibus, & constitutionibus.
 - 4 Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno praedictio ecclesiae.
 - 5 Electores absentes, & impediti possunt eligere per procuratorem.
 - 6 Si nemo velit hanc procuratorem recipere, non potest Elector absens eligere per epistolam.
 - 7 Ad quid teneantur Electores, ut in electione bene et laudabiliter procedant: quos debeant eligere, secus qua poena puniendi ad num. 18. 19. Renuntians electioni quando admittendus ad num. 22. 23. Ubi, ne ad electionem procedatur, an oppositio fieri possit: quibus causis, & quomodo, ad num. 26. 27. Novae additiones inseruntur, ad num. 32.
- 1 ELECTORES habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive praesentes, vocandi sunt ad electionem novi Praelati: c. Cum inter universas 18. c. Coram dilecto 45. & cap. Quia propter 42. de election. Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necessitate vocandi, cit. cap. Cum inter universas, ibi: Quamvis ecclesiastica constitutio non exigit, ut ad electionem pastoris, Canonici tam remoti vocentur. Quamvis autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis, standum est specialibus consuetudinibus, ut colligitur ex cap. Quod sicut 28. de election. & sufficit, ut commode vocari possint, sive sint in provincia sive extra; ad finem enim citandi absentes sola commoditas attendenda est, juxta cit. cap. Quod

sicut, & cit. c. Quia propter; Donat. in praxi rer. Regular. tom. 2. tract. 4. quest. 15. n. 1. Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno praedictio ecclesiae; cit. c. Quod sicut 28. & cap. Quia propter 42. de election. ibi: Qui debent, & volunt, & possunt commode interesse. Electores absentes & legitime impediti possunt eligere per Procuratorem; textu expresso in cit. c. Quia propter 42. de election. ibi: "Illud autem poenitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento deentibus venire non possit, super quo si opus fuerit, fidem faciat juramento, & tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam"; & clarius habetur in cap. Si quis 46. de election. in 6. ibi: "Si quis justo impedimento detentus in electionis negotio nequeat commode interesse, potest medum uni, prout dicitur in Concilio Generali (id est in cit. cap. Quia propter) sed & pluribus committere suas voces, dum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem, & erit tunc melior conditio occupantis; Verum nisi ambo concurrant insimul, & postulent se admitti, auctori eos non expedit, quia possent vota sua dirigere in diversos, sicut res non haberet exitum, & quod ab eis hoc casu fieret, non valeret; sed is admittatur dumtaxat, quem capitulum, vel pars major elegerit, vel si concordare nequeant, is qui primo in instrumento vel literis procuratoris extiterit nominatus &c." Si nemo velit hanc procuratorem recipere, non potest Elector absens eligere per epistolam, textu expresso in cit. cap. Si quis 46. de elect. in 6. §. Absens, ibi: Absens quoque licet nullus de collegio velit esse procurator ejusdem, nec ipse nolente capitulo extraneum valeat deputare, non poterit aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio, secreta, & sigillatim tantummodo exprimendum.

(Dum Auctor dicit, posse electores absentes, & legitime impeditos eligere per procuratorem, id sic est intelligendum, ut possint quidem absentium suffragia per aliquos ab ipsis electoribus absentibus, vel ab ipso Capitulo destinatos suppleri, si id liceat per constitutiones talis Ordinis à S. Sede approbatas; minime vero ut suppleri possint, vel à praeside electionis, vel à capitulo propria auctoritate. Vetus namque hoc esse aperte colligitur ex Sacrae Congregationis decreto 3. Decembris 1644. quod ex Pignatelli. refert Mattheuccius cap. 18. Officialis n. 19. Sacra Congregatio. censuit cavendum, ne deinceps Titulares constituantur ad effectum electionis faciendae, aut voces & suffragia absentium suppleantur. Quod in sensu expresso intelligunt laudati Pignatelli, & Mattheus. (Electores tenentur sub gravi investigare de idoneitate personae eligendae; c. Cum in cunctis 7. de elect. Negligendo enim talem inquisitionem, seu investigationem in re gravi delinquit; c. Ea quae 3. de officio Archidiaconi. cap. Nulli 1. dist. 19. cap. Dicitur 8. dist. 18. dum ratione officii, contractus, vel quasi contractus tenentur praecavere, ne eligantur indigni, aut minus idonei praedictio ecclesiae, & animarum, ad cujus regimen assumuntur. Hinc Electores eligentes indignum, id est, cui desunt qualitates ad sic promovendos de jure requisitas, ultra peccatum mortale, quod incurrun, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi, textu expresso in cit. cap. Cum in cunctis 7. de election. §. final. ibi: Eligendi tunc potestate privator se moverint; & concordat cap. Cum Vintoniensi 15. & cap. Scriptum est 40. de electio. Haec autem poena privationis potestatis eligendi non incurritur, nisi sequatur communis electio indigni, quamvis semper peccetur mortaliter dando scienter suffragium indigno, textu expresso in cap. Perpetuo 7. de elect. in 6. ibi: Declaramus quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio praesertim (nisi adeo in eo persistierint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendae potestate priventur, licet pro eo quod indignum nominando, scienter contra conscientias suas agunt, & divinam vindictam, & apostolica ultionis metum, quem qualitas facti suaserit, possint non immerito formidare.

Eligens indignum, & asserens, se id ignoranter fecit-

esse, cogitur probare ignorantiam; arg. cap. Innotuit. 20. de elect. ubi Pontifex eligentibus indignum, solum ex gratia remittit quod non cogentur probare ignorantiam, quam allegabant; & notat ibidem Glossa verb. Ignorantiam, & Abbas num. 7. Non enim potest presumi rationabiliter ignorantia de qualitatibus eligendi in Electore, qui tenetur ex officio eas inquirere, & investigare, & si non investigaverit, non potest excusari ignorantia, qua cum in tali casu ignorantia fuisset crassa, supina, affectata, & vincibilis, non est censenda causa, sed effectus negligentiae, atque adeo non potest excusare Electorem, uti non excusatur Episcopus Antisiodoresem in non observato Interdicto, c. Ad hoc 1. de postulat. Pralat. & confer. c. Cum in tua 6. Qui matrim. accus. posset leg. Nec supinam 6. ff. de jur. & facti ignor. Eo magis cum Elector, & possit, & debeat talem negligentiam tollere, non tollendo autem impedimentum ignorantiae, approbat impedimentum; arg. cap. His quibus 60. de elect. & Glossa ibidem verb. currit (Vid. verb. Ignorantia.) Eligens scienter indignum peccat graviter, etiamsi sciat, se nihil profecturum per denegationem sui suffragii ex quo omnes alii Electores velint eligere talem indignum; et ratio est, quia eligere indignum est ab intrinseco malo, adeoque nulla ratione potest esse licitum; unusquisque enim tenetur quantumvis se est prospicere bono communi, quod semper preferendum est bono privatorum, & praestat mori, quam mortaliter peccare, quia mors animae magis quam corporis est timenda, ut recte observat Doctissimus Donatus loc. cit. quest. 26. num. 4. Si autem alii parati sint eligere indignum, ipsi viderint; quilibet tamen tenetur conscientiae suae consulere, & quantum ex se est, non concurrere ad talem indigni electionem, & illi resistere, quia ex c. Error 3. d. 83. Error qui non restituitur, approbatur. Neque caret scrupulo conscientiae occulta, qui manifeste facinorosi desinit obviare. Lezana part. 1. cap. 15. num. 14. Vasq. Opusc. de benefic. cap. 2. §. 3. dub. 3. Mathaeus. Officialis Cur. cap. 18. sub num. 4. & cap. 28. n. 2. communiter Doctores apud Peyrin. de subdito quest. 5. cap. 3. quest. 3. §. 2. ubi disputat ad partes, & acriter reprehendit pusillanimes.

12 Non debent tamen, nec possunt Electores denegare suum suffragium ei, quem per solam confessionem sacramentalem noverunt indignum; Electores enim talem indignum per solam confessionem cognoscentes tenentur se gerere circa ipsum in foro externo ac si nihil in foro sacramentali novissent, adeoque tenentur ei suffragari, ne frangant sigillum confessionis & ne reddatur odiosa confessio; Et sic tenent fere communiter Doctores contra paucos apud nitidissimum Lumen Illustrissimae Religionis Praedicatorum Hyacinthum Donatum loc. cit. q. 29. n. 6. Et desumitur ex constitutione Clementis VIII. edita pro casuum reservatione incipient. Sanctissimus Dominus, ibi: Tam superiores, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum assumpti fuerint, caveant diligentissime, ne ea noverint, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorum gubernationem utantur; Ex quibus verbis clare patet, contrariam opinionem saltem respectu regularium, hodie non posse sustineri & violatores praedictae constitutionis peccare mortaliter contra praecipuum formale obedientiae importatum per illa verba, Caveant diligentissime, & fieri sacrilegos, & incidere in poenas severissimas ad terminos cap. Sacerdos 2. dist. 6. de panit. &c. Omnis utriusque sexus 12. de panitent. & remitt. prout ex multis ostendit Peyrin. tom. 2. de Pralat. quest. 3. cap. 2. §. 2. num. 46. Donat. l. c. n. 20. (Ad rem lex 33. tit. 6. p. 1. utpote per eam assertur, Episcopum seu Praetatum quilibet sollicitant ordines conferre teneri, quamvis oculi criminis ab eo commissi consensu fuerit; debet eum Praetatum praemonere, ut a proposito diverteretur; verum si persistit, sacris iniciandus.)

13 Electores tenentur sub mortali eligere eos, quos digniores, & ecclesiae magis utiles esse judicaverint; sic Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. ubi expressae definit: Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambulationum suggestionibus, sed eorum exigen-

tibus meritis praefati diligenter curaverint; Unde Innocentius XI. contra aliter sentientes die 9. Maji 1679. damnavit sequentem propositionem 47. in ordine Cum dicitur Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesiam promovent, Concilium, vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, vel tandem loquitur tertio, quando si concurrat: Et consonant sacri canonis, & signanter cap. Metropolitanus 1. dist. 63. ibi: Optimus ordinatur; cap. Licet 15. caus. 8. quest. 1. ibi: Qui praestantior est omni populo, ille doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium, &c. cap. unic. ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, ibi: Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuit ecclesiasticum beneficium in personam magis idoneam dispensare, cum similibus. Accedit ratio, quia violatio iustitiae distributivae, vel commutativae per acceptionem personarum est de suo genere peccatum mortale; unde dicitur Jacobi a. Nolite in personarum acceptione habere privilegia Domini nostri Jesu Christi. In electionibus autem, provisionibus & collationibus praefere minus dignum digniori, est manifeste utramque iustitiam violare, cum praeterea, dignitates & beneficia ecclesiastica sint bona communia, meritorum praemia, & digniorum honores, ordinata in bonum ecclesiae, & bonum ipsius electi, ergo, &c. Hinc S. Hieronymus relatus in c. Moyses 6. caus. 8. quest. 1. sic dicit: Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit utique successores principales filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur, Jesus, id est Jesus, ut sciretur principatum in populo non sanguini adferendum esse, sed virtuti; At nunc cernimus, plurimos hanc rem beneficium facere, ut non que ant eas in ecclesia columnas erigere, quas plus cognoscant ecclesiae professe, sed quas vel ipsi amant, vel quarum cum obsequiis delinunt, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora faciant, qui ut Clerici fierent, muneribus imperarunt; & S. Augustinus Epist. 29. ad Hieron. ait: Quis ferat, si quid divitem eligat ad Sedem honoris, contempto paupere instructiore & sic tenent D. Thom. 2. 2. quest. 63. art. 2. Div. Anton. part. 2. tit. 1. cap. 10. §. 1. (Verb. Acceptio personarum.)

Obligatio sub gravi eligendi digniorem non solum procedit de Episcopis, & S. R. E. Cardinalibus, de quibus expresse loquitur Concilium Tridentinum c. sess. 24. cap. 1. de reform. Sed etiam procedit de omnibus aliis, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, uti sunt Abbates, Commendatarii, Archimandritae, aliique hujusmodi Praetati nullius Diocesis, ac praetati Regularis cum communi Jo. Cardenas in Crisi Theologica super Proposit. 47. Innocent. XI. cap. 2. num. 11. Lugo disp. 35. de Just. num. 55. Diana part. 5. tracl. 14. resolut. 12. Reiffenstuel loc. cit. num. 240. & alii passim. Obligatio sub gravi eligendi meliorem procedit etiam de promovendis ad ecclesias parochiales, ut colligitur aperte ex Concil. Tridentino sess. 24. cap. 18. de reform. ubi praecipit Episcopis, ut ex nominatis ab Examinatore tamquam dignis, eligant, & exquirant digniores, ibi: Episcopus eum eligat quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collato ecclesiae ab eo fiat, & infra ibi: Tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, & habetur ex constitut. S. Pii V. incipient. In conferendis, & sic communis Doctorum teste Passerino cap. 30. de electione num. 1. & Cardenas loc. cit. cap. 4. num. 40. & Joan. Maria Nogar. in Theologia radicali tracl. 15. num. 10. cum aliis dicant aliter sentientes incurere damnationem cit. Propositionis 47. ab Innocentio XI. proscriptae (Vid. pract. art. 5. verb. Beneficium; atque in verb. Concursus, dictam constitutionem invenies.)

Electio digni praetermissio digniore est valida, quamvis ex dictis sit illicita; colligitur ex cap. Cum Nobis §. His igitur 16. & cap. Cum dilectus 32. de election. & tenet communis Doctor. cum Glossa magna circa finem

in cap. Nullus dist. 61. S. Thomas 2. 2. quest. 63. art. 2. ad 3. Garzias de benefic. part. 7. cap. 16. num. 5. & alii passim; Et ratio est, quia si electio impugnari posset in foro externo, seu judiciali, ex solo motivo quod non fuerit electus dignior, omnes propemodum electiones possent impugnari, & sic aperiretur via infinitis litibus, quod esset maximum absurdum, & incommodum. Immo electio digni praetermissio digniore potest aliquando esse necum valida, sed etiam licita: possunt enim Electores sine culpa eligere dignum omisso digniore in variis casibus, & primo sic possunt, quando id exigit necessitas ecclesiae, ut si conferenda sint duo beneficia, alterum parochiale, quod tenues habeat redditus, & alterum simplex pinguis, & non concurrant nisi duo oppositores; tunc non est eligendus dignior in beneficium pinguis, sed in parochiale, licet sit tenue, quia bonum commune debet praeferi bono particulari, & ecclesiae parochialis exigit prudentiam, ac doctorem nullo habitu respectu ad introitus. Sotus lib. 3. de Justitia quest. 6. art. 3. ad secundum argumentum, Bannes 2. 2. dub. 3. conclus. 3. Serra 2. 2. quest. 63. art. 2. Donat. loc. cit. quest. 27. num. 2. Viva in proposition. 47. Innocentii XI. num. 17. & alii. Secundo, potest eligi minus dignus omisso digniore, quando major pars Electorum vult excludere digniorem, & nisi eligatur dignus, vult eligere indignum; tunc enim licite potest eligi dignus, omisso digniore, cum sit hoc magis utile ecclesiae, ex quo sic repellatur ab ipsa indignus, qui a majori parte fuisset electus nisi minor pars concurrisset ad electionem minus digni. Donat. loc. cit. num. 8. Viva loc. cit. num. 17. §. Loquitur secundo, & alii. Tertio, potest eligi minus dignus relicto digniore, quando major pars Electorum ita firmiter decrevit eligere minus dignum, ut moraliter sit certum, quod talis evadet electus; tunc enim minor pars poterit licite se illi conformare pro conservando bono pacis, quia in tali casu est impossibile eligere digniorem stante maioria ceterorum Electorum, & aliunde electio digni relicto digniore non est intrinsece mala, sicuti electio indigni, quae ex dictis supra n. 11. nulla ratione potest fieri licita. Cajetan. 2. 2. q. 63. art. 2. Sotus loc. cit. Bannes loc. cit. Lezana p. 1. c. 15. n. 14. Donat. loc. cit. n. 6. Quarto, potest eligi minus dignus omisso digniore, quando minus dignus est magis utilis, vel quia est magis potens ad tuenda Jura ecclesiae, vel quia est magis sedulus, vel quia est magis expertus, vel quia est magis acceptus populo, vel quia est indigena, vel quia minus detinetur extraneis curis, vel aliis de causis, quas varias enumerat Barbosa in Collect. ad sess. 24. de reform. cap. 18. d. num. 129.

18 Et ratio supradictorum est, quia major dignitas ad praeturas, & beneficia ecclesiastica non est praecise mensuranda ex majori scientia, vel majori vitae probitate, sed etiam ex prudentia, solertia, dexteritate ad regendum, nobilitate, & potentia familiae ad ecclesiam defendendam ab inimicis Christi, ejusque jura tuenda, & ex variis aliis circumstantiis externis; adeo ut omnibus insimul consideratis, ecclesiae, sive praeturae, cui praeficitur, ceteris utilior fore credatur. Hinc S. Thomas 2. 2. quest. 63. art. 2. in respons. ad tertium, notanter sic inquit: "Sed quantum ad constantiam Eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius praefertur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam, quae quidem sit perineat ad negotium, quantum ad hoc, erit ille, qui eligatur magis idoneus; si vero non pertinet ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personae. Et ibidem quest. 185. art. 3. in corpore, ait: Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem quoad regimen ecclesiae, qui scilicet possit ecclesiam, & instruere, & defendere, & pacifice gubernare; & in quodlibet 6. art. 9. dicit: "Aliquis potest dici melior dupliciter; uno modo simpliciter, qui est sanctior plus habens de charitate; alio modo dicitur aliquis melior quoad aliquid. Contingit au-

tem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, ut praeturae suscipiat, quia forte potest religionem magis juvare, vel per consilium sapientiae, vel per auxilium potentiae &c. Non ergo semper est eligendus melior simpliciter, sed quoad aliquid." Hec D. Thomas.

Electio renunciata electioni, si poenitent, & se retractat re adhuc integra, debet admitti cum ceteris Electoribus ad eligendum in capitulo, argum. cap. Lectura 14. de renun. Glossa ibidem, & Donatus loc. cit. q. 18. 1. Secus autem re non amplius integra; c. In causis 30. de elect. & Glossa ibid. Cum res non esset integra (Leg. 56. §. 66. tit. 18. part. 3. 66. tit. 5. part. 5. Glossaeque D. Gregor. Lopez). Remittentibus enim actiones suas, non est amplius regressus ad eas, ff. de adlit. edit. l. Queritur, §. Si venditor, & cap. Quod semel 21. de Regul. Juris in 6. Quod remei placuit, amplius displicere non potest. (Vid. tit. A. pag. 210. ver. Quivis, tit. B. pag. 367. n. 23. etiamque leg. 38. 61. §. 62. tit. 5. part. 5.) Res autem tunc dicitur integra, quando non fuit executata, neque coepa; colligitur ex cap. final. §. Officiorum autem, de offic. judic. deleg. in 6. cap. Quicumque 11. de sententia Excomm. eodem in 6. & ibi Glossa verb. Re integra, l. Et quis 6. ff. de jurisdict. omn. judic. (Vid. verb. Delegare, ex pag. 45.) E contra tamen res desinit esse integra, quando incipit aliquo modo exequi, etiam per solam citationem, & in praesenti casu per solam renunciationis spontaneae acceptionem a Praetato per scripturam, vel coram testibus formiter recepta. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 32. ubi ex multis ostendit rem non esse integram, ubi praetati acceptaverit. Elector 22 quamvis ante publicatum scrutinium possit vocem suam variare, non potest tamen publicato scrutinio; & a fortiori si jam misisset schedulam suam in urnam in communi loco preparatam in finem eligendi; cap. Publicat. 58. de electionib. & Glossa in cap. Quia propter 42. de election. verb. Publicent. Et ratio est, quia si ponens schedulam in urnam posset illam reassumere, & votum mutare, daretur locus dolis, fraudibus, jurgis, & libitibus innumeris, cum sic posset quilibet ex malitia electionem impedire, communitatem inquietare, quod est contra dispositionem cap. Cum inter universas 18. de elect.

Electores quamvis sine vera, & juxta causa nequeant interponere appellationem, seu oppositionem, ne procedatur ad electionem, possunt tamen ex jura, & vera causa, ut v. g. si Electores sint inhabiles propter suspensionem, interdictum, excommunicationem, vel ob aliquod simile; cap. Consideravimus 10. de election. & Gloss. ibidem verb. Post appellationem. Electores postquam aliquem unanimi consensu elegerunt, non possunt deinde illi electioni opponere nisi ex causis de novo emergentibus, vel nisi eis improbitas morum electi de novo sit manifesta, quae tempore electionis erat illis totaliter secreta, vel incognita, textu expresso in cap. Nulli 8. de election. in 6. ibi: "Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit subsecuta, vel postquam praestiterit electioni de ipsis ab aliis celebratae consensum, illum super electione ipsa, nisi ex causis postea emergentibus, impugnare, vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, vel alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quae verisimiliter ignorare poterit, veritas reveletur;" & ibi Glossa verb. Latentis, & verb. Defectus. Talis oppositio fieri potest triplici modo; scilicet contra formam electionis, contra electum, seu eligendum, & contra Electores, dummodo tamen fiat in scriptis, cum juramento, & causa rationabiliter exprimentia in literis oppositionem, & appellationem continentibus, textu expresso in cap. Ut circa 4. de election. in 6. ibi: "Edicto perpetuo providemus, ut si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu provisionis formam, aut personas eligentium, vel Electi, sive illius, cui erat provisio facienda, sive facta, & propter hoc contigerit appellari, appellantes instrumento publico, seu literis super ap-

pellatione confectis, omnia, & singula expriment, quae in formam intendunt obicere, vel personas coram personis authenticis, aut personae, quae super hoc testimonium perhibent veritati, corporali praestito juramento, quod credunt ea, quae sic expriment esse vera, & se posse probare; & ibid. Glossa verb. Formam, & verb. Eligentium.

26 Electio est interdictus abusus illicitarum capitulationum, quas occurrere vacatione ecclesiarum, seu monasteriorum interdum fieri contingit, & ad hoc datur hic Innocentii XII. constitutio, qua occurrere vacatione ecclesiarum, seu monasteriorum, ab iis, ad quos electio personarum illis praeficiendarum spectat, interdum fieri contingit, innovantur constitutiones Nicolai III. Pii V. & Gregorii XIII. in similibus edicte, cum additione poenarum, ac prohibitione dictarum capitulationum sub eisdem poenis.

INNOCENTIIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiae Catholicae per universum orbem diffusa regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sive ad illicitorum, ac praeserim ecclesiasticae libertati adversantium Juramentorum abusum tollendum, sive ad quaecumque avaritiae labem a personis in sortem Domini vocatis, quas non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi quaerere maxime convenit, excludendam prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, zelo constituta, & ordinata esse noscuntur, apostolici muniminis nostri praerogativa libenter roboramus, novisque praesidiis, ut serventur exactius, constabilius, ac aliis desuper concessae nobis a Domino potestatis partes studiosa charitate interponimus, sicut ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat. Nosque omnibus mature considerationis trutinam perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, rectam, ac felicem ecclesiasticarum rerum directionem, necnon animarum praesertim Unigeniti Dei Filio Domini Nostri Jesu-Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem, postquam felic. recordat. Nicolaus Papa III. praedecessor noster accepto in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari, ut scum earum praetati ad ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis Canonice regeretur, nec Praelatos admitti, nec Canonicos aliter recipere in iisdem ecclesiis, nisi jurassent statuta, & consuetudines ipsarum ecclesiarum scripta, & non scripta inviolabiliter observare; Inter laicos quoque multarum civitatum, castrorum, & terrarum eum consuetudinis moribus in suis Praesertim, Recloribus, vel Officialibus assumendis irrepsisse, ut ipsi Praesertim, Rectores, & Officiales ad ejusmodi Praesertim, Recloras, & Officia nullatenus admitterentur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausa servaturos similiter jurassent: In statutis vero, ac consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiri illicita, sive impossibilia, vel ecclesiasticae libertati obviantia, sive sub tali generalitate jurandi sic jurantium peccandi occasio praeretur, animarum periculis obsistere occupans, salubri sua, ac generali constitutione praesertim, & quibuscumque scientibus contineri in praedictis constitutionibus, & statutis illicita, impossibilia, vel libertati ecclesiasticae obviantia, juramenta hujusmodi nullo modo praestari; ac praeterea decreverat talia juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu ecclesiasticae libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione praestari non possent absque Divina Majestatis offensa in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati ecclesiasticae obviantibus non servanda; quin potius pro animarum salute si sub forma praefata, vel simili aliquos ignorantem praedicta illicita, seu

impossibilia, vel libertati ecclesiasticae obviantia juramenta contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, & libertati ecclesiasticae non obviantia, juramentum intentionem referri debere; declarans insuper juramenta sub hujusmodi generalitate quaecumque, & sub quacumque verborum forma praestata, vel praestanda, ad licita, possibilia, ac ecclesiasticae libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque Jurantes ad alia per praestationem juramenti hujusmodi non teneri.

§. 2. Rec. mem. Gregorius Papa XIII. praedecessor noster per quasdam suas desuper sub plumbis expressit literas, quarum initium: *Iner Apostolicae Sedis praedictam Nicolai praedecessoris constitutionem, in eademque alias omnes canonicas sanctiones de abusu, & reprobatione juramentorum hujusmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus, etiam quoad praeterea inviolabiliter observari.* Praeterea praecipit, & interdixit Praelatis, Canonicis, & aliis supradictis, necnon ecclesiarum Capitulis, & monasteriorum, ceterisque conventibus, & civitatibus quoque, castrorum, & terrarum communitatibus, & personis quacumque dignitate praeditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticae, ac decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alias actus quocumque, ac quocumque tempore, etiam praerogativa cujusvis consuetudinis quocumque tempore observante, quae potius corruptela esset censenda, sive in genere, sive in specie praestare, reddere vel exigere, neve super praestitis, redditus vel exactis eo usque quempiam in iudicio, vel extra illud inquietare audent quoquomodo, vel turbare.

§. 3. Ac illos, qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel ecclesiasticae libertati, ac decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem, & alios quoscumque pontificali dignitate praeditos a divinis suspendit. Capitula vero, conventus, & loca omnia interdicto ecclesiastico suppositi, ac singulares personas excommunicationis sententia innodavit, inhabilesque fecit ad obrenta, & alia obtinenda eo ipso, sibi, & Romano Pontifici pro tempore existentem relaxationem suspensionis, & interdicti, necnon absolutioem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservavit. Decernens eos, qui talia juramenta scienter praestitissent usu, & commodo rei, ac gratiae, cujus causa jurassent, eo ipso privatos esse; alios vero ignorantem ad praestitorum juramentorum hujusmodi observationem minime teneri, & alias prout in praefatis Gregorii praedecessoris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene & sufficienter expresse, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius committitur.

§. 4. Porro antequam litterae hujusmodi emanassent, similis mem. Pius Papa V. etiam praedecessor noster ejusmodi Concilii Tridentini decretis, quibus ne quidem quod in usus pios non converteretur in electione, presentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae, vel beneficii, canonicatum, aut praebendam, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas quoquomodo persolvi possit strictissime prohibetur, inhaerens, suam hanc in re constitutionem ediderat tenoris, qui sequitur, *videlicet.* Pius Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dum nimis, & incommodum arbitramur, quod ecclesiarum ministri in iis, quae ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab ecclesia Dei avaritiae pravitate, editas ante hanc sanctiones minime satis esse intelligimus, nova constitutionis subsidio cogitavi providere. Cum itaque alias ex plurimum ecclesiarum cathedralium, & collegiarum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelli-

geretur, ut in electione, presentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae, vel beneficii, canonicatum, aut praebendam, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certa conditione, seu deductione ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur, turriorum lucra, interponerentur, licet Sancta Synodus haec detestata, mandaverit Episcopis, ut quaecumque hujusmodi, quae in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniace labis, aut sordida avaritiae suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super praedictis cognoscerent, & illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquis ut pravae, & scandalosae rejicerent: eos vero, qui adversus praedicta quavis ratione commisit, poenis contra simoniacos editis tenore decreverit; multiorum tamen indomita cupiditate tam praedicta, quam alia ad beneficium, & commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contumeliantur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare Nos pro divini cultus exercitio, simulque evocatum ad illum auxilium plenius, evidentiisque consulendum fore rati, revocamus, & aboleamus omnia, & quaecumque privilegia, consuetudines, & statuta quorumcumque ecclesiarum cathedralium, & metropolitandarum, ac majorum, necnon collegiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, aut alio quovis praesidio munia, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, & quocumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis ecclesiarum, vel praetorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus, maximis, & urgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis, & officiis fructus, ac etiam quotidianas distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno, aut longiore, vel etiam breviori tempore proventuri mensae episcopali, seu capitulari, aliove loco integre, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios Canonicos, & personas ecclesiae, seu capituli dividantur. Quodque nullus etiam apostolica auctoritate provisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti vel alias in ejus possessionem induci possit, nisi prius de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus, & statutis juramentum praestiterit, & obtenta illorum derogationis, ac fructuum, & distributionum perceptioni renuntiaverit, seu capitulo, & personis praedictis cesserit, seu (ut appellant) dularia, aut quid aliud praestiterit; quorum omnium tenores, causas, & effectus habemus praesentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus, & aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires, & effectum de cetero non habere. Praecipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, & personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renuntiationem, aut dularia, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam sive ordinaria, sive apostolica auctoritate provisum, ad praestandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi praedicta non facient possessionem impediunt, vel remorentur. Quicumque contrafecerit, si ecclesiarum Antistes, tandem a pontificali officii exercitio sint suspensi, donec satisfactioe pravia illa per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur. Capitula vero, & collegia quaecumque ecclesiastico subiacent interdicto, ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituta ab alio, quam a Roma-

no Pontifice, absolutiois beneficium nequeant obtinere, decernentes hujusmodi praestita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo jurantes in hujusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quidquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statutimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, & distributiones fabricae, vel sacristiae, aut alterius sui loci usibus ultra semestre tempus reperiantur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae, vel fabricae, aut proprio loco deinceps tribuatur, alteram vero Beneficium praedicti integre percipiant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communitatibus, vel divisim ab Apostolica Sede indultum, quod interdicti, suspendi, aut excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, decreto praedictae synodi, ac etiam constitutione felic. rec. Joannis Papae XXII. qua incipit *Suscepit*, & aliis Juribus hac de re disponentibus, nihilominus aliis in suo robore duraturis. Ceterum per praedicta non intendimus illis praedictare capitulis, collegiis, mensis, aut personis fructus, & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, sive possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine, vel privilegio hujusmodi percipientibus, vel retinentibus; quo minus ipsi illos interim, ut antea, exigere valeant, & habere. Postremo volumus ut praesentium exempla etiam impressa, Notarii publici manu, & Praelati ecclesiastici, ejusve Curiae sigillo obsignata, eandem illam proorsum fidem ubique locorum in iudicio, & extra illud faciant, quam facerent ipsamet praesentes, si essent exhibita, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, abolitionis, praecipii, interdicti, decreti, statuti, intentionis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, pridie Kalend. Junii Pontificatus nostri anno quinto.

§. 5. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri dolore, ex quampluribus, ac praesertim nonnullorum Venerabil. fratrum Archiepiscoporum ad Apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo creverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui sive avaritiae, quae est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambitioso ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepide pauciscentibus sacras ipsas electiones, quas sanctissimi ecclesiae canonum omni prava actione submotae pergit tam distincte praecipunt, illicitis, injustis, ac per tot apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per Electos, quicumque illi sint, observandis, quibus canonica praesulum jurisdictione ut plurimum circumscribitur, vacantium ecclesiarum jurata dantur, ac ipsius etiam Apostolicae Sedis auctoritas interdum violatur, temere inquinata satagant, atque in abominationem dissolutionis in sanctuarium invadere, sacrasque ecclesiae dignitates, ad quas olim non nisi ex persecutionis tolerantia ascendebatur, in turpem quatum, ac tenerarum negotiationem commutare minime vereantur non sine gravissima ecclesiasticae disciplina perturbacione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento.

§. 6. Hinc est, quod Nos, qui libertatis, jurisdictionis, aliorumque jurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque Christiani fidelium curam suprema dispositione gerimus, abusus quoscumque circa praemissa introductos in medio tollere, illiusque in futurum omnem ansam praecidere, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habita super hisdem praemissis cum particulari Congregatione Venerabilium

fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini interpretum, qui rem mature discussurunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter & assensu, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula præmissa à præfatis Nicolao, Pio, & Gregorio prædecessoribus constituta, ordinata, interdicta, decreta & respective declarata, ut præfertur, expeditasque desuper illorum constitutiones, seu literas supradictas tenore præsentium, perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuæ, atque irrefragabilis apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præsidium adjicimus.

§. 7. Præterea, ut eadem præmissa firmius, atque inviolabilis de cetero observentur, ultra omnes, & singulas penas in iisdem constitutionibus, seu literis impositas, privationis dignitatum, canonicatum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, & quoad Regulares, etiam vocis activæ, & passivæ, ac graduum, munerum, & officiorum quorumcumque per eos respective obtinuerunt, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia, quæcumque impofterum quomodolibet obtinenda penas per contrafactentes ipso facto, absque alia declaratione infringendas adjungimus.

§. 8. Porro ad penitus extirpandum, atque evellendum capitulationum, pactioium, conventionum, concordatorum, seu statutorum quorumcumque, quæ perperam ac adversus sacrorum canonum, & constitutionum apostolicarum dispositionem occurrente ecclesiarum quarumlibet præsertim cathedralium, & metropolitanarum, seu monasteriorum quorumvis vacatione, ab illis, ad quos electio personarum idonearum ipsi ecclesiis, seu monasteriis ad electionem hujusmodi respective præficiendarum juxta privilegia, & indulta apostolica eis desuper concessa, aut alias legitime spectat, sive ante, sive post electionem prædictam interduci, condi, aut fieri consueverunt, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earundem tenore præsentium omnibus, & singulis, ad quos spectat & pro tempore quomodocumque spectavit cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præminentiæ, vel dignitatis fuerint sub eisdem omnino penis superius expressis, quarum absolute non relaxationem Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existentis dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus, & interdiciamus, ne capitulationes, pactioes, conventiones, concordata, seu statuta hujusmodi ante ipsam quidem electionem, seu etiam postulationem de cetero inire, concedere, aut facere audeant quovis modo, seu præsumant.

§. 9. Illaque proinde, quatenus de facto contra præsentis nostre prohibitionis formam inita, condita, seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua, ac nullius roboris, & momenti esse & perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, aut obligatum existere, vel fore decernimus & declaramus.

§. 10. Quæ vero electione, seu postulatione hujusmodi secuta quomodolibet iniri, condi, seu fieri contigerit, ad Nos, seu eundem Romanum Pontificem, pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita nostro, & Sedis Apostolicæ judicio subijci præcipimus, suspensa interim eorum omnium, & singulorum executione, donec & quousque ad eadem Sede, sine cujus auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, Apostolicæ confirmationis robur in totum, vel in partem receperint.

§. 11. Ceterum per presentes non intendimus ea, quæ antehac contra supradictarum Nicolai, Pii, & Gregorii prædecessorum, seu forsan aliarum apostolicarum constitutionum, seu literarum formam quomodolibet gesta fuerint, ulatenus approbare, nec penas ea de causa per transgressores incuras remittere, vel condonare.

§. 12. Decernentes pariter, eadem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, præminentiæ, & dignitatis existant, & alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consentirent; nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causa, propter quas præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis juridica, privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incognito, inexcogitabili, individuumque expressionem requirere defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas appellationis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, seu ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & effectivas existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfate Nuncios, aliosve quoslibet quæcumque præminentiæ, & potestate fungentes & functuros, sublatæ, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 13. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, constitutionibus, & ordinationibus, nec non ecclesiarum, & monasteriorum quorumvis, & illorum ordinum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, & literis apostolicis eidem ecclesiis, monasteriis, ac ordinibus, illorumque Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, aliisque superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur; præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Aut si præfatis vel aliis quibuslibet communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, suspendi, excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 15. Ut autem eadem præsentis literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ Curiaque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illic concernunt, proinde arcere, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimata fuissent.

§. 16. Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem promissas fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 22. Septemb. 1695. Pontificatus nostri anno quinto. J. F. Card. Albanus. Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertia, die vero vigesima quarta Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Innocentii divina Providentia Papæ XII. Anno quinto, supradicta constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque generalis in Monte Citorio, ac in Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem. Marcus Aurelius Pellucius Magister Cursorum.

§. 17. Dispositio Gregorius X. in cap. Ut circa de elect. in 6. ut appellantes ab electione jurent se credere vera esse, quæ opponunt, ut innuit Auctor num. 22. Verum sciendum est, quod ex Doctorum sententia tunc appellantes ab electione tenentur juxta hanc sanctionem jurare vera se credere, quæ opponunt, quum appellant ab electione certa alicujus personæ, non item quando ab electione in genere appellant; Ita decretalem hanc interpretatur Glossa ibid. verb. Facienda & rursum in cap. Qui contra, verb. Certam eod. tit. de election. in 6. Pirhing. in decret. lib. 1. tit. 6. num. 284. Passerin. de elect. cap. 32. num. 55. Leuren. for. benefic. p. 2. sect. 2. cap. 2. §. 5. quæst. 308. num. 2. aliique.

§. 18. Quinimo in ipsa appellatione ab electione certa persona debent appellantes jurare vera esse, quæ opponunt, si crimina, vel defectus contra electum, vel electionem opponant, idque prædicti consilio, ne crimina temere opponantur, non item si nihil tale opponant, quum cesset præfatum inconveniens: Lupus in dist. cap. Ut circa n. 3. de elect. in Venaxel. in decretal. l. 1. tit. 6. num. 18. egregie Passerin. de elect. cap. 32. num. 69. Leuren. for. benefic. part. 2. sect. 2. cap. 3. §. 5. quæst. 509. num. 2. Rot. in novis dec. 36. per tot. de Appellat.

§. 19. Quod eo vel maxime procedit, si appellantes cause innitantur, quæ principaliter jus proprium respiciat, adeoque non nisi indirecte impugnet jus electi. Barbosa in cap. Ut circa num. 3. de elect. in 6. Venaxel. in decretal. lib. 1. tit. 6. num. 19. Passerin. de elect. cap. 32. num. 68. Rot. in novis dec. 36. num. 2.

§. 20. Pena vero appellantis ab electione, qui jurare omisit ad formam dictæ cap. Ut circa, non est quod appellatio nullius sit momenti, sed quod appellans non audiat in non expressis in libello appellationsis, Lup. in dist. cap. Ut circa num. 4. de elect. in 6. ubique Geminian. num. 4. Franc. num. 2. Passerin. de elect. cap. 32. num. 69. Leuren. for. benefic. part. 2. sect. 2. cap. 3. §. 5. quæst. 509. num. 2.

§. 21. Hic autem non est omitterendum, quod agitata novissime fuit in Rota questio hæc de appellatione ab electione, non præstito ab appellantiis juramento, quod

vera credebant, quæ opponebant. Licetque ad sustinendam dictam appellationem deducta fuissent, quæ hæcenus ex Doctorum sententia fuerunt allata: nihil tamen minus placuit supremo illi tribunali nullo in numero habere ipsam appellationem, ut patet ex decisionibus in Colonia. Decanatus 4. Jul. 1755. §. 9. & 14. Maii 1758. §. 8. cor. bon. mem. Borull.

ARTICULUS IV.

Electio quomodo, quando, & ubi fieri possit, & debeat, ut sit canonica, præsertim inter regulares.

SUMMARIUM.

- 1. Omnes sunt ad electionem vocandi: quis electionis ejus erit effectus, sic non facta: quid, si contemptus non contradicat, ad num. 5.
- 2. Regulares ante eam præstent juramentum: alia, quæ præcedere debent, quomodo celebranda: an sustineatur electio, aliquibus ex capitulo egredientibus, aut dare suffragia venientibus: à quo debet fieri, si unus tantum remaneat, ad num. 25.
- 3. Quid observandum si vacua schedula invenitur, aut plures quam sint vocales, ad num. 27.
- 4. Per vota secreta, non alia forma est procedendum ad regularium electionem: quando secreta intelligantur: quinam sunt ad eam vocandi: quis eligendus, & quomodo: libera debet esse, & ab omni labe simonia, ad num. 64.
- 5. Ubi est celebranda: quare: intra quod tempus: an de die, aut de nocte, seu die festo celebranda, ad n. 89.
- 6. Quis inter regulares eligi, aut eligere potest: quando in ipso actu est aliquis voce activa & passiva privandus: à quo electio est confirmanda: & quid operetur ante confirmationem, ad num. 101.
- 7. Auctoritatis supplementa subnequuntur.
- 8. Nove additiones, ad num. 108.
- 9. Alia inseruntur, ad num. 117.
- 10. Et alia supplementa ex Auctore.

Pro electione canonica facienda sunt in primis vocandi omnes, qui de jure, aut legitime consuetudine habent Jus in ea suffragandi, & sunt in pacifica possessione eligendi: cap. Cum inter universas 18. cap. Coram dilecto 35. & cap. Quia propter 42. de election. & ibi Glossa communiter recepta in verb. Qui debent. Alias etiam si unus solus contemnatur, seu non vocetur, potest ipse agere de contemptu & electionem irritare: quamvis enim non sit de substantia electionis, ut vocentur absentes, ut defendunt Glossa in cap. Nulli 8. de elect. in 6. Tabiena verb. Electio num. 19. Donatus loc. cit. quæst. 18. num. 6. Pagnanus in cit. cap. Quia propter 42. de election. num. 38. Peyrin de subdit. quæst. 1. cap. 31. not. 1. Reiffenstuel loc. cit. num. 115. & alii: est tamen per ipsos citatos & alios de Justitia; adeoque licet electio non sit ipso jure irrita, ad ipsius tamen contempti instantiam erit irritanda juxta cap. Quod sicut 28. de elect. quia plus obsistit electioni contemptus unius, quam contradictio multorum, ut habetur in cap. Venerabilem 24. & capit. Bonæ memoriæ 36. de election. (Ad rem lex 10. tit. 14. part. 1. & lex 13. tit. 5. ejusd. p.) Si vero vocalis contemptus velit pro bono pacis, vel alio fine ratam habere electionem, & non contradicere, electio valide subsistit, cap. Quod sicut 28. de elect. §. 1. in fin. Sic etiam electio valide subsistit, si vocalis contemptus, sciens electionem factam, & potens contradicere, nihil opponit, quia in tali casu censetur tacite ratam habere electionem, & juri suo renuntiare, adeo ut non sit postea amplius audiendus, ut docent Sperell. dec. 181. num. 43. Passerin. de elect. cap. 11. num. 119. & alii passim. (Vid. lit. B pag. 369. num. 37. Leg. 5. tit. 14. 7. tit. 16. part. 1. 2. tit. 5. part. 3. 54. tit. 5. part. 5.)

Vocalibus vocatis, & in unum conventis, sunt ante electionem habendi tractatus consultorii, in quibus disc-